

continet huc

Q. D. B. V

14

DISSERTATIONEM THEOLOGICAM

D E

ΣΩΤΗΡΙΟΦΡΟΝΗΣΕΙ
A
FILIIS LVCIS NEGLECTA

AD LOCOS

Lvc. XVI, 1-9, ET XIX, 41-48

ILLVSTRANDOS

P R A E S I D E

CHRIST. SIGISMVNDO GEORGIO

SS. THEOL. DOCT. EIVSDEMQUE PROF. PVBL. ORDIN
REGIOELECTORAL. ALVMNORVM

EPHORO

AD DIEM XI SEPTEMBRIS CID IO CC LIII

IN AUDITORIO MAIORI

DEFENDET

CHRISTIANVS SIEGFRIED GROSCHIVS
ROSNAVIA MISNICVS

VVITTEBERGAE

LITERIS TZSCHIDRICHIANIS IMPRESSAM

41

ZU THRIOPONZEI
THRIE TACIS NEGLECTA
T R A H S I O R
CHRIST SIGISMUNDO GEGORGI
IN AUDITORIO MAIORI
CHRISTIANUS SIGMUNDUS GROSCHIAS

BRUNNEN IN DRESDEN
D R U C T O R I A M I C H A E L I

Hanc hominis post lapsum esse naturam et propensio-
nem, ut plus de corporis conseruatione ac uitae hu-
ijs felicitate sit sollicitus, quam de animae salute, ac
uitae aeternae gaudio, non tantum quotidiana docet expe-
riencia, sed cum primis Iudeorum olim confirmatur exem-
pli. Filios lucis se esse iactabant illi, nec tamen opera filio-
rum lucis faciebant, sed opera filiorum mundi, hisque longe
imprudentiores erant, prout Sosipator in altera pericope
huius Dissertationis expressis verbis enunciat, in altera vero
pericope ipsorum imprudentiam lacrimis deplorat. Faxit
Summum Numen, ut illorum imprudentia prudentiores fia-
mus. Christiani, ac praesens labor gloriae Nominis diuini et
aedificationi Ecclesiae bene uertat.

C A P V T I

Q V O

E V A N G . D O M I N . I X P O S T T R I N I T A T I S

L v c . X V I , 1 — 9 , E X T A N S

I L L U S T R A T U R

V E R S V S I

Ἐλεγε δὲ καὶ πρὸς τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ·
Ἄθρωπος τις ἦν πλούσιος, ὃς ἐίχει εἰκο-
νόμον· Καὶ ὑπέρ τοῦ διεβλήθη αὐτῷ, ὡς δια-
σκορπίων τὰ ὑπάρχοντα αὐτοῦ.

Dicebat autem quoque ad discipulos suos.
Homo aliquis erat diues, qui habebat
dispensatorem. Hic autem delatus est
ei, ac si dispensans esset facultates suas,

Ε Η Η Γ Η Σ Ι Σ

Ἐλεγε δὲ καὶ πρὸς τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ. Dicebat autem Iesus, in docen-
do contra Pharisaeos et Scribas pergens, hanc quoque parabolam ad di-
scipulos suos, ad quos, a Pharisaeis et Scribis faciem auertens, sese conuerterat.
Ad quae uerba notemus duo. Alterum, quod Dominus ad Discipulos suos non
privatim, sed publice, hanc quartam parabolam, praesentibus Pharisaeis, (quod
ex uersu 14 intelligitur, in quo expresse dicitur, *Audiebant autem haec
omnia et Pharisaei*,) dixerat eo fine, ut partim unusquisque auditorum bonis
recte

reste uti disceret, imprimis vero, ut partim Phariseorum imprudentiam ac negligentiam in salute sua procuranda notaret, iuxta uersum 8, partim ut ad aemulationem eos prouocaret, iuxta u. 9, eorumque corrigeret Φιλαργυρού, quamvis intentioni Sospitatoris nostri euentus non responderet, deridebant enim ipsum Φιλαργυρού isti, obseruante s. L V C A, u. 14 huius cap. XVI. Alterum, quod vocula νοή, h.l. quoque denotans, connectionem huius parabolae cum tribus illis in capite anteced. recensitis indicet, et lectorem manu quasi ducat ad eas, et ad uersum secundum *capitis* XV, ex quibus totus huius parabolae scopus addiscitur. Scilicet receperat Dominus publicanos ac peccatores poenitentes in gratiam, iuxta promissionem suam, Ez. XXXIII, 11, Io. VI, 37, 1 Tim. II, 4, 2 Petr. III, 9, et manducauerat cum ipsis, utpote qui conuersi erant, credentes in Iesum, Salvatorem mundi. Haec cum uiderent Pharisei et Scribae, obmurmurabant illi, dicentes, οὐτος ἀμαρτωλοὺς προσδέχεται, καὶ συνεσθεῖ αὐτοῖς. Quae sententia cum iniqua esset, eam, ut Pharisei quoque, bonis suis operibus innixi, et Φιλαργυρού tamen, uid. infra ad u. 9, altera ex parte, ad saniores mentem redirent, et gratia salui fierent, altera autem ex parte conuersi ad Dominum confirmarentur, solide confutat, ac tribus prioribus parabolis, in cap. XV, tum misericordiam DEI exponit, qua non tantum recipiat poenitentes peccatores in gratiam, sed eos etiam, instar pastoris boni, quaerat, Ez. XXIV, 11, 12, 16, tum sanctorum Angelorum gaudium de iis, qui poenituerunt, et in gratiam redierunt, Luc. XV, 6, 7, 10, inculcat, quarta autem parola et quinta in cap. XVI, Phariseorum iniustiam, auaritiam, imprudentiam, inuidiam, et negligentiam perstringit, iisque supplicia proponit aeterna. Iniustiam notat, quod modo illicito et iniusto conquererent diuitias, Matth. XXIII, 14, Luc. XVI, 9, auaritiam, quod, dum bonus operibus, ac propria sua iustitia salui fieri uellent Pharisei, Matth. V, 20, conf. quae ad h. l. iamiam notauiimus, illa non ex avaritia negligenda, sed ex diuitiis, quas male pepererant, in proximum, more Zachaei, Luc. XIX, 8, conferenda essent, imprudentiam, inuidiam et negligentiam, quod bona huius mundi conquererent et curarent, bona autem coelestia turpiter negligerent non tantum ipsi, sed eos etiam, qui haec anxie quaerebant, arcere uellent, Matth. XXIII, 13, Luc. XV, 2, 30, seqq. arque hinc, quae ipsis supplicia essent expelandia, parola ultima, u. 19, seqq. declarat. Ex quibus tum connexio cap. XVI cum XV, tum scopus parabolae nostrae, quae sequens est, appareat.

Αὐθεωπός τις ἦν πλούσιος - τὰ ὑπάρχοντα αὐτοῦ. Homo aliquis erat diunes, per quem ANTONIUS A DRIESSEN in Diatribe de Principiis et Le-
gibus

gibus Theol. emblem. p. 93, intellectum uult Imperatorem Romanorum, qui ue-
digibus colligendis publicanos praefecerat. Verum, cum Dominus Phari-
saorum in primis imprudentiam, iniustitiam, et φιλαργυρίαν hic notare, nec
publicanis saltem, sed omnibus hominibus legem, bonis, a DEO sibi datis,
recte utendi, praescribere voluerit, rectius omnino intelligitur DEVS, diues
ille et dator omnis boni, Rom. X, 12, Eph. II, 4, Iac. I, 17, uel, ut LYRA-
NVS speciatim accipit, Θεάθρωπος. Hic diues habebat, quem suis facul-
tatis praefecerat, dispensatorem, VVLGATVS, reddidit uillicum, sed, ut
recte, post HIERONYMVM, iudicat BEZA, ad h. l. nimis anguste, quandoqui-
dem non tam dispensantis, quam rusticantis saltem opera uillicus perfungitur.
Id quod ex XENOPHONTIS libro Oeconomico quoque intelligitur. Indigitan-
tur autem per dispensatorem illum non publicani tantum, uid. paulo post ad
u. 3, sed omnes filii seculi huius, deinde quilibet homo, cui DEVS facultates
concedidit, aut fortunae, quo diuitiae, aut corporis, quo membra, pulchritudo,
aliaque corporis dona, aut animi, quo tum eae, quas natura largita est, ut iudican-
di facultas, sapientia, ingenium, memoria, propensio ad uirtutes, tum opera ac
studio acquisitae dotes, ut artium peritia, eruditio, cet. referuntur. Quae do-
na ac facultates si homo non recte admisstrauerit, quod sit, quando iis
nec in DEI gloriam, nec in proximi utilitatem, nec in sui salutem, uti-
tur, tunc desertus hic ipsi Domino, accusatus ab Angelis bonis aequae, ac
malis, Matth. XXIX, 6, 10, Apoc. XII, 10, ab hominum suspiriis, gemitibus, ac la-
crys, quibus aut iniurias fecit, aut erga quos immisericors fuit, et quae
sunt alia id genus, et denique a propria conscientia, quae mali conscientia car-
nifex crudelissimus, ac mille testis est, quod officio suo non satis fecerit,
cum talis exiterit, qui reuera dissipans ac dilapidans fuerit, quo sensu, Luc.
XV, 13, διασπορίζω accipitur, bona sua, quae paulo ante recessimus. Dis-
sipat uero homo a) bona fortunae, a DEO sibi commissa, partim, quando
illa luxuriando, commessando, ludendo, et qui sunt alii dilapidandi bona
modi plures, perdit, nec egenis opem fert, quorum exempla exhibent filius
ille desperitus et heluo, Luc. XV, 13, XVI, 19, seqq. et a qualibus commessa-
tionibus, luxuriis, lusibus, cet. dehortatur tum Sospiator ipse, Luc. XXI, 34,
tum Spiritus S. Rom. XIII, 13, 1. Cor. X, 7, 8, Gal. V, 19, 21, partim, quando
diuitias suas uel abscondit cum improbo illo seruo, Matth. XXV, 24, seqq. at-
que oclusis pecuniis simul eorū suum erga pauperem, et erga se ipsum, Ec-
cles. VI, 2, occludit, uel eas in foenore ponit, eoque, ut in dies plures corro-
dat numeros, trucidat proximum, nec pauperem iuvans, auaritia dementa-
tus miser, 1 Tim. VI, 9, 10, cum ramen expendere debeat, se non sua tan-
tum causa diuitias possidere, sed proximi ergo earum esse dispensatorem,

qui aliquando dispensationis suae rationem reddere teneatur, β) *corporis*, quando homo aut donis corporis abutitur, qualia sunt, u. g. pulchritudo, qua, dum foemina pulchra D E V M glorificare creatorem debebat, semet ipsam, et eos, quos cepit, perdit, quaestum faciens corpore, robur, quo uel male, dum supprimit proximum, eique nocet, uel prorsus non utitur, dum piger est et otiatur, sanitas, quam alii luxuriando, commessando, ac scorrendo, alii nimio labore, alii ignavia, ira, rixis, uerberibus, temeritate, cetera, perdunt, aut corporis membra facit arma iniustiae et scortationis, Rom. VI, 13, 1 Cor. VI, 15, 18, u. g. quando manu furatur et occidit, itemque lingua, calumniando, conuictando, traducendo, dolose blandiendo, cetera, Ps. CXL, 4, Ier. XIX, 18, Rom. III, 13, Iac. III, 6, seqq. pedibus in iuis incedit nequitiae ad furandum, occidendum, scortandum, cert. oculis inuidet proximo, concupiscit eius bona, quaecunque illa sunt, innocentes capit animas, reliqua, γ) *animi*, quando homo eas dotes, quas uel a natura haber, quales sunt iudicium, ingenium, et memoria, uel quas diuturno tempore spatio, multa opera ac studio sibi acquisuerat, in damnum proximi adhibet, u. g. quando iudices causarumque patroni egregiis animi sui dotibus ad causas iniustas colorandas, iustas vero peruerendas et supprimendas abutuntur. Haec enim omnia pertinent ad τὰ ὑπάρχοντα facultates ac bona, a D E O hominibus commissa, ut iis rete in eius gloriam, proximi utilitatem, et sui felicitatem ac salutem utantur. Qui hoc non fecerint, *dissipantes Domini facultates dicuntur*, ideoque in ius uecandi, ut ex sequentibus intelligitur uersu.

ΠΡΟΣΟΙΚΕΙΩΣΙC

I Hominum diuitiae sunt uanae ac mutuo acceptae, hinc nemo iis fidat incertis, 1 Tim. VI, 17. Hodie enim eas possidemus, cras iis, aut hominum perfidia ac malitia, aut sorte aduersa ac calamitate, a D E O ex iusto iudicio immissa, priuamur.

II Quod D E V S diues est, tibi, qui pauper es, sit solatio. Hac enim ratione ille, cuius coelum et terra est, Deut. X, 14, Ps. XXIV, 1, paullo momento te ditem reddere potest, Iob. XLII, 12, imo faciet, si tibi proficiuum fuerit.

III Diuitiae cum sint laquei saepe, quibus homines capiuntur plurimi, 1 Tim. VI, 9, 10, et damnantur, Matth. XIX, 23, 24, noli conqueri de earum incopia. Nouit enim D E V S, eas tibi plus obtuturas, quam profuturas, si posidesres. D E O itaque sortem tuam committe, is pro sua prouidentia eam diriget, Ps. XXXVII, 5.

IV DEYS

IV DEVS cum dives sit, et duitiae ab eo profiscantur, eas in se bonas, nec damnabiles, esse, intelligitur; sed pios, salua salute et conscientia, eas possidere posse, piorum docent exempla, Gen. XIII, 2, 1 Reg. X, 23, 2 Chron. I, 11, 12, 15, 1ob. I, 3.

V Omni homini, quicunque ille sit, facultates nonnullas, aut fortunae, aut corporis, aut animi concessit bona, uid. ἐξηγοτις, eumque eorum dispensatorem constituit DEVS. Te ergo rationem dispensationis tuae aliquando redditurum esse memento, iuxta uersum seq. huius Euangelii. Reste itaque si administraueris ea, merces tibi erit, Matth. XXV, 23, si male, supplicia, te, dilapidantem ea, manebunt, Matth. XXV, 24, seqq.

VI Dives qui es, in acceptis tuas referas duitias, Dan. II, 21, IV, 14, 1 Cor. IV, 7, easque non esse tuas, sed DEI, nec tua solum causa, sed proximi ergo, ut ipsius egestati succurras, te possidere scias. Conf. ad uerf. seqq. προσωικ. VII.

VII Noli, qui dilapidas bona Domini, tibi persuadere, te impune hoc fecisse, ac facta tua fore in occulto. Delator aderit semper, uid. ἐξηγοτις. Ratio erit reddenda. Vae tibi. Quicquid ergo agas, prudenter et recte agas, et respice finem.

IX Malitia ac fraudes improborum iniustorumque hominum deferre ad magistratum et ad eos, quibus damnum infertur, non tantum licet, sed etiam requiritur, ut proximi utilitatem promoueamus, damnum contra pro virili auertamus.

X Finem respice, quicunque es homo, dispensationis tuae, teque ut bonum ac fidem geras dispensatorem eorum, quae tibi DEVS commisit, donorum gratiae, 1 Cor. IV, 2. Breue enim est tempus, quo dispensatione fungeris, et breui eius rationem reddere te oportet. Hinc caute ac prudenter age.

X Bonus si uolueris esse dispensator, fac ea, quae DEO, quae tibi, et quae proximo debes, DEO, ut eius in gloriam facias omnia, 1 Cor. X, 31, tibi ut salutem tuam cures, et proximo, ut eum ames, sicut te ipsum, Matth. XXII, 39.

VER.

VERSVS 2 — 4

2 Καὶ Φωνήσας αὐτὸν ἔπειτα σύγκριψε. Τί τοῦ
τοῦ ὀνόματος περὶ τοῦ; ἀπόδοσις τὸν λόγον
τῆς ὄντος μηδέποτε τοῦ. Οὐ γάρ δυνήσῃ ἔτει
3 ὄντος μηδέποτε. Εἶπε δὲ ἐν ἔσυντῷ ὁ ὄντος
μος. Γί παισσοί, ὅτι ὁ Κύριος μου ὁ φρα-
ρέτας τὴν ὄντος μηδέποτε τοῦ; σκά-
πτεν οὐκέτι ισχύω, ἐπειτέντοι αἰσχύνομαι.
4 Εγγρων, τί ποιήσω, ίνα, ὅταν μετασκή-
θῶ τῆς ὄντος μηδέποτε τοῦ ὄντος αὐτῶν.

Et uocans ipsum dixit ei. Cur hoc
audio de te? Redde rationem dispen-
sationis tuae. Non enim poteris
amplius dispensare. Dicit autem in
se ipso dispensator. Quid faciam,
quia Dominus meus auferat dispensa-
tionem a me? Fodere non possum, men-
dicare erubesco. Scio, quid faciam, ut,
quando amotus fuero a dispensatione,
recipiant me in domos suas.

ΕΞΗΓΗΣΙΣ

Καὶ Φωνήσας αὐτὸν -- Οὐ γάρ δυνήσῃ ἔτει ὄντος μηδέποτε. Dominus igitur,
(consequendi enim uim habet uocula καὶ, uid, *Vindiciae N. T. ab Ebraismis*,
p. 166,) sollicitus de bonis suis, ne omnia perderet iniustus dispensator,
uocans eum, citando ad se, ut perfidiae ipsum et dispensationis malae conuin-
ceret, dixit ipsi. Quid, mi homo, meliora speralem de te, sed, proh dolor!
deferunt uicini, amici, inimici, proximi, ac dicunt, i. e. Ecclesiae ministri,
Angeli boni aequi, ac mali, conscientia tua ipsa, reliqui homines, qui tecum
uersantur, aliquique, hi omnes deferunt contra te, cur hoc audio de te dilapi-
dationis facinus, te accusant omnes bona mea dissipantem. Redde igitur ra-
tionem, prout officii ratio id postulat, h. e. Librum, quo acceptae et expen-
siae summae continentur; affter, ex quo facile subductis rationibus mala tua
dispensatione eluceat. Non enim, hac ratione, quia uera omnino inue-
nientur, quae de te fama fert, atque accusatores perhibent, poteris amplius
dispensare bona mea, ne omnia ea dilapides, quorum partem dissipasti iam
iam. Eodem modo DEVS malos dispensatores ad rationes redderidas eli-
tat, uel gratiosus, uel irascentis, prout recte obseruauit B. BACKVS in *Ex-
posito, Euang. p. 261, seq. scribens. Citationis autem tempus aliud est gratiae, et
aliud est irae, prior sit in hoc seculo, posterior in iudicio futuro. Hic citatur homo,
ut corrigitur et emendetur, ibi ut puniatur et crucietur, illa citatio misericordiae est,
haec erit iustitiae. Citatio gratiae complectitur α) internam inspira-
tionem, quando auctore Spiritu S. in mentem nostram incidunt bona cogi-
tationes de admisis peccatis, de DEO ob ea irato, de poenitentia; qualis ci-
tatio esse poterat publicani in templo de peccatis suis cogitantis, peccatis percuti-
entis et dicentis, DEVS propitius esto mihi peccatori, Luc. XXIX, 13. β) Ad
citationem gratiae pertinet externa uerbi praedicatio, ad poenitentiam ue-
cans,*

cans, pertinet buc citatio Israelitarum, Hos. IV, 4, seqq. et Paulina illa, 2 Cor. V, 20, VI, 1, 3. γ) Ad citationem gratiae pertinent mariae aduersitates, tentationes, persecutio-nes, morbi, bella, pestilentiae, cet. Haec enim omnia mera gratiae signa sunt, et pertinent buc uerba Pauli, 1 Cor. X, 13. δ) Ad gratiae etiam citatio-nem pertinent morbi et ipsa mori, quae est citatio peremptoria, imo est quae-dam depositio, cum omnibus bonis nos spoliet, attamen beati, qui moriuntur in Domino, nec ipsa mors ipsi nocet, consilire enim possunt in futuro iudicio, et gratiōe quidem citati dispensationem suam emendarunt, Adam, Dnuid, Ma-nasses, filius prodigus, ceteri. Irae autem citatio est, uel quando DEVS abri-pit impium in medio peccatorum cursu, ut Nabal, 1 Sam. XXV, 38, ut Cain, qui accepta citatione desperat, Gen. IV, 13, ut Ananias et Sapphira, qui accepta ci-tatione subito pereunt, Act. V, 5, 10, uel quando in extremo iudicio reddenda erit ratio de omnibus uerbis otiosis, Matth. XII, 36, deque omnibus factis, Eccles. XII, 14, imo etiam de omnibus cordis nostri consilis et cogitationibus, 1 Cor. IV, 5, tunc audiatur seria illa nox. Redde rationem uillicationis. Redde rationem tu Ecclesiastes, cur tot homines seduxeris? cur sermonem meum defraude-ris? cur tuo officio negligenter funētus fueris? Redde rationem tu auditor, cur uerbū contemferis, cur praepositū tuī morem non gesseris? Tu princeps, index, Aduocate cet. redde rationem, cur praestanta minus fideliter praeſite-ris? Tu subdite redde rationem, cur magistratus respueris imperium? Pa-ter-mater familias redde rationem, cur rei familiari male profueris? Tu serue, tu ancilla, redde rationem, cur mala fide administraris? Marite redde ratio-nem, cur coniugem male tractaris? tuque coniu, cur maritum recte monen-tem non audieris? Redde rationem omnis homo, cur toties admonitus non resi-pueris? cur diuitias bonitatis et clementiae toties respueris? cur irām in diem irac malitiosē cumularis? cet. Index terrenus falli potest, sed hic latere erit impossibile, apparere erit intolerabile. GREGORIVS.

Εἶτε δὲ ἐν ἑαυτῷ - - ἐπαγρέν αἰσχύνομα. Dixit autem, audita Domi-ni sententia, perterritus procul dubio, ac conscientiae mortibus iectus, in so-met ipso, animo perturbato ratiocinans, ac paulo momento hue illuc, cau-sae sue ac periculi metu, impulsu, bene sciens, se, reum, in discrimen uen-torum esse, dispensator improbus atque iniustus. Per quem ANTONIVS DRIESSENIVS, l.c. publicanos indigitari aurūmat, quos, b. STOCKI uerbis, ad b. l. utor, ab Imperatore Romano colligendis uectigalibus praefectos, sed minus fideliter in hoc negotio uersatos, et ideo ad procuratorem Caesarii delatoi fuisse, statuit. Cum ergo metuerint, ne sibi, ab officio remotis, misere uiuendum sit, tabulas, in quibus facultates cuiusvis confignatae fuerint, eos immutasse. atque sic sibi amicos conciliasse, Procuratorem autem has artes, tanquam tales, quibus

et ipse in maioribus ad Caesarem defraudandum; utatur, laudasse. Christum uero publicanos grauiter monere, ut bona iniuste parta reddant, uel ex facultatibus suis pauperibus succurrant. Verum, cum incertum prorsus sit, utrum Sospitator Caesarem Romanum hic intellexerit, deinde etiam de procuratore nihil in textu, multominus ea de procuratore sublamenti ratio, legatur, sed quae dicuntur, de ipso domino, siue homine dixit illo, dicuntur, uix ei assentendum esse reor. Vixique autem res sit, siue Caesarem, siue diuitem quendam alium in mente habuerit Dominus, nos per dispensatorem illum, unumquemque intelligi hominem huius mundi statuimus, qui bona sibi concedita male administrat, qua uitiae tamen sustentationem curat sollicite, deinde omnes eos, qui filii lucis esse volunt, dona uero sibi commissa administrant male, nec, qua animae salutem sibi prospiciunt, quales erant Pharisaei, Scribæ, aliqui tum temporis Iudei, nostra uero memoria omnes Christiani, dona sibi concedita male dispensantes. Dispensatorem igitur illum in applicatione imaginem esse omnium hominum, qui aliquando bona DEI male dispensacunt, eorumque alii, admonitione Domini, Redde rationem dispensationis tuae, meliores facti, alii autem peiores, perfidiam perfidia cumulant, prout noster hic dispensator, qui quidem meditatur, quid sibi faciendum sit in hoc discrimine reram, sed non ut corrigat mores et depreceatur facinora sua apud Deminum, verum eum ultima vice adhuc bene decipiat, inquiens, quid faciam ego, miser propria mea culpa factus, ut mihi prospiciam calamitatesque futuras effugiam, quia Dominus meus benignus ac clemens, nunc uero iustitia et iusto dolore adductus eo, auferat dispensationem, haec tenus mihi commissam, a me improbo, bona domini dilapidante, atque hinc poena eiusmodi dico. Quid si ergo sorrem meam futuram considerem, res meae erunt calamitosissimæ, cum non habeam, unde uiuam, quia manu uictum et amictum acquirere non possum. Nam foderare non ualeo, tantis uiribus, aut robusto corpore, non instructus, neque huiusmodi labori assuerus, neque animus ad eum propensus est, mendicare autem, siue uictum et amictum petere ab aliis, qui mores et ingenium meum norunt, erubescō, quia procul dubio dispensationis meæ facinora, luxuriandi libidinem, et dilapidandi temeritatem mihi obiciunt, praeterea que me dilectoris lacecent ac deridebunt. Proprieta alia uia mihi est ingredienda, meo ingenio meaque conditioni conueniens, furari scilicet sub donationis titulo, iuxta u. 6 et 7. Quae si ad Phariseos et Scribas applicaueris, qui improbi tales erant dispensatores in spiritualibus et temporalibus, qualis erai hic dispensator in iis, quae ad uitam spectabant humanam, non tam prudentes illos suisse, quam hunc, intelligitur, prout Sospitator infra uersu 8 hanc

hanc dicit sententiam. Nam hic, postquam uocem auduerat domini, Redde rationem, non poteris amplius esse dispensator, uitae suae sustentandae prospiciebat, et cum uirium suarum agnoscetate infirmitatem, tum quod suo honori imminebat dedecus, hinc ad utrumque effugientum meditabatur. Pharisei autem, quibus Dominus toties iram Dei ob malam dispensationem denunciauerat, et quod ipsis ideo, ab officio amoris, ratio sit reddenda, Matth. XXIII, 13, 14, Luc. XV, 1, 2, status sui miseriam, atque infirmitatem se saluandi, neque expendebant, neque qua ratione sibi quoad uitam aeternam, prospicere possebant, meditabantur, sed fodere uolebant, h. e. operum suorum opera, quae tamen facere non poterant fide destituti, et quae faciebant, ex rapinis faciebant Φιλάργυροι ac propria iustitia, quae nulla erat, in coelum ingredi, Matth. V, 20, conf. Rom. IX, 30, 31; non autem mendicare, h. e. gratia, quam Christus toties ipsis obrulerat, Matth. XXIII, 37, ac fide in Christum saluari, uolebant, Io. III, 16, VI, 40, 47.

Eγνων τι ποιήσω, - - εἰς τοὺς ὄφες αὐτῶν. Noni, post multas meditationes et confilia, quid faciam, siue iusto, siue iniusto id fiat modo, siue licito, siue illicito, medio, adeo is serio sollicitus erat de conseruatione sui, cum adhuc tempus esset, et dispensationis munere perfungeretur, ut, quando amotus fuerit a dispensatione, tunc enim sero sapuisse, cum occasio sibi consulendi defuisset, bona fides amissa, et omnibus fabula factus, recipiant me in domos suas. Qua locutione non tantum hospitium, sed etiam alimenta, exprimi uidetur. Parum enim iuvasset ipsum hospitium, nisi simul habuisset, unde uiueret. Hinc procul dubio, debitoribus domini sui remisisti debiti partem sub conditione, ut, si fortuna aliquando aduersaretur sibi, tunc hospitium, uictum, et amictum suppeditarent ad dies uitae, uel ad tempus, donec iterum fortuna faueret. CAMPEGIVS quidem VITRINA in Parab. Euang. p. 925. seqq. statuit, per dispensatorem Phariseos et reliquos populi Iudaici praefectos a Domino fuisse indigitatos, per depositum uero a munere, euerctionem Hierosolymorum et abrogationem Iudaeae reipublicae una cum cultu Leuitico. Verum enim uero, ut facile largimur, per dispensatorem notatos fuisse Phariseos ac primates populi Iudaici, sic negamus, eos fuisse indigitatos per eundem in ipsa parabola, quia praecise dispensator ille filios huius seculi, ut ipse Dominus explanat, u. 8, denotat, et filii lucis, h. e. Iudeis, opponitur, ui cuius oppositionis, depositio a dispensatione non Hierosolymorum ex diu ac cultus Leuitie abrogatio denotare potest, sed ipsam muneric priuationem, quae in applicatione ad Phariseos ac reliquos, est exitus ex hac uita, quo transitus fuit aut ad aeterna tabernacula, u. 9, aut ad aeterna supplicia.

ΠΡΟΣΟΙΚΕΙΩΣΙC

I Teneat index, teneant omnes, quod nemo inauditus condemnandus, sed ad delatoris accusationem delatus citandus sit, ut rationem reddat, ne insontes condemnentur falsa delatione, *2 Chron. XIX, 6, 7*, quanquam id, hac licei cautione exhibita, factum esse exempla docent, *1 Reg. XXI, 10, seqq.* *Matth. XXVI, 61, Act. VI, 1, seqq.*

II Attende ad citationis diuinæ uocem, *Redde rationem*, qua te DEVS hoc in tempore gratiae iam uocat, *2 Cor. VI, 1, 2*, uerbo suo, ministris Ecclesiae, conscientia tua, cert. uid. ad *1 Εξηγ.* Noli eam differre usque dum coram tribunali appareas, ibi aeternum succumbes, sed hic rationes confer, ubi Iesum habes praedem, qui defectum iam suppleuit et soluit, *Ies. XLIV, 22, 1 Petr. I, 18, 19, conf. προσοικ. seq.*

III Rationem in extremo iudicio redditurus disce mori, antequam moriaris, *Ies. XXXIX, 1*, deinde Iesum tecum adducito, ut rationes tuas sanguine suo delear, *Col. II, 14, 1 Io. I, 7*, nisi hoc, non consistes. Fide ergo Iesum in hac uita amplectaris, eumque usque ad mortem retineas, *Gen. XXXII, 26, Matth. X, 22, Io. V, 24, 2 Tim. IV, 7, 8, Apoc. II, 10*.

IV Cum omnes homines dispensationis munere a morte deponantur, nemo effugiet ultimam rationem, quae tibi reddenda est *2 Cor. V, 10*. Quodsi ergo bene rationem redditurus es, memento mori, nec tempora gratiae negligas, *2 Cor. VI, 1, 2, conf. προσοικ. antecedentes*.

V Homines quidem bona DEI dilapidare, sed non restituere, in dilapidandis bonis socii esse queunt, sed in extremo iudicio, unusquisque rationem dispensationis suae redder, nec se inuicem iuuare possunt, *Pf. XLIX, 8, 9, Matth. XII, 36, Rom. XIV, 12*. Fuge ergo socios malos, eorumque dilapidandi artes, et memento reddere rationem, *Eccles. XI, 9, 2 Cor. V, 10*.

VI Miseri homines! qui corporis habent curam, non animae. O si mori discerent, ut prudentes fierent, *Pf. XC, 13*, quod corporis cura sit uana, et deiecit dispensationis munere, h. e. cum e uita migrauerint, ratio sit reddenda, quod animae curam neglexerint.

VII O si disceremus nos mortales, quod non sumus domini diuitiarum. *Nihil enim habemus proprium, sed dispensatores alienarum rerum sumus, quae a Domino nobis conceditae sint, ut illis bene dispensemus*, sicut et ipse imperat. *At si conceditas diuitias non dispensabimus iuxta mentem Domini, et abusi fuerimus illis in nostrum luxum, accusabimur.* Etenim uoluntas Domini est,

- est, datis uti in usus conseruorum, non in proprias delicias.* THEOPHY-LACTVS ad h. l. Conf. ad uersum anteced. προσοικ. VI.
- II X En infelicem peccatoris indurati statum, contremiscit quidem, quando peccata ipsi obiciuntur, nesciens, quid faciendum sit, sed non poterit. Malum enim abest, ut is poenitentiam agat, qui adhuc flagitorum est mancipium, otio ac superbiae litans, quin potius duo haec uitia terrium dignant peccatum, defraudandi artem, sive, rectius, furtum. Fuge ergo otium, omnis uitii principium, fuge superbiam interitus tui causam, Prou. XVI, 18, i Petr. V, 5.
- IX Pessimum genus hominum, qui malunt plura committere peccata, quam peccatorum fontes occludere, et ueterem offendere Adamum. Coacervuant sibi ipsi iram DEI. Rom. II, 5.
- X Pudore, ubi pudendum non est, stultitiae, sed non pudore, ubi pudendum est, malitiae est, in iisque obseruatur hominibus, quos facinorum arque infamiae suae neque pudeat, neque pigeat, quorum imago in dispensatore cernitur.
- XI Hac in vita quidem astuti sibi consulere possunt astutia sua, sed quando mors a munere eos deponet, tunc desinet astutiae uirtus. In tempore igitur astutiam permuteant cum prudentia, ut sciant, quid faciendum sit sibi, ratione reddituris. Conf. anteced. προσοικ. II, seqq.
- XII O si omnes Christiani scirent lapsi, quid faciendum sibi, et tanta ipsis esset cura animae, quanta corporis ac honorum huius mundi, quam feliciter illi dispensationis suae rationem reddere possent in die extremo, Io. V, 24.

VERSUS 5 - 7

5 Καὶ προσκαλεσμένος ἦν ἐκαστον τῶν χρεωφειλτῶν τοῦ κυρίου ἑαυτού, ἔλεγε τῷ πρώτῳ. Πόσον ὁφέλεις τῷ κυρίῳ μου; Ο δὲ ἀπεν. Εκατὸν βάθους ἐλάφου. Καὶ ἀπεν ἀντεῖ Δέξαι σον τὸ γράμμα, καὶ καθίσας ταχέως γράψον 7 πεντήκοντα. Επειτα ἐτέρῳ ἀπε. Σὺ δὲ πόσον ὁφέλεις; Ο δὲ ἀπεν. Εκατὸν κύρους σίσιου. Καὶ λέγει ἀνταῖ Δέξαι σου τὸ γράμμα, καὶ γράψον ὡρδοήκοντα.

Idcirco coniucavit unumquemque debitorum domini sui, et dixit primo. Quantum debes domino meo? Hic uero respondit. Centum batos elei. Quare dixit ei. Accipe tuum scriptum, et sedens cito scribe, quinquaginta. Deinde alteri dixit. Tu autem, quantum debes? Hic uero dixit. Centum coros tritici. Quare dixit ei. Accipe tuum scriptum, et scribe octoginta.

ΕΞΗΓΗΣΙΣ

Kai προσκαλεσάρετος ἑταῖρον -- τῷ κυρίῳ μου. **I**dcirco, postquam pessimum consilium ceperat, idque ex aqua secum constituerat, conuocauit, per ministros, unumquemque debitorum, i. e. omnes debitores, domini sui, quorum duo saltē, exempli causa, hic allegantur, ut ingenium hominis improbi et modus dominum defraudandi elueat, dixit primo, aut quia ipsi primus obuenit, aut quia ratione temporis, primus fuit, quantum debes domino meo, aut ex ignorantia, qua certe inexcusabilis fuisset, aut simulando. Ad questionem uero, quid per primum, in hoc uersu, quid per secundum, quid per oleum, quid per triticum, cetera, in sequentibus uersibus, sit intelligendum, ΤΗΕΟΡΗΥΛΑCT I verbis respondere malumus, quam nostri, ad h. l. scribentis. **Omnis parabola obliquo et figurato modo rerum quarundam naturam manifestat, non per operia rebus illis assimilata, propter quas assumta est.** **I**dcirco non oportet omnes parabolārum partes curiosius inquirere, sed quatenus apparent proposito utiles et conuenientes. Reliquiae enim finitiae sunt, quasi parabolam contexentes, et nihil ad propositum conducentes, quomodo etiam in proposta parabola faciendum. Nam si per tenues particulas omnia exponere testauerero, quis dispensator, quis dispensatoris dominus, quis delator, qui debitores, et propter quam causam ille quidem oleum, alius autem triticum, et qua de causa centum, debere dicuntur, et si alia omnia perquisuerimus, obscurum et molestum sermonem faciemus, et fortassis, si ualde baestauerimus, etiam ridiculi erimus. **I**gitur tantum utilitatis ex praesenti parabola capiamus, quantum possibile est.

O δὲ οἶτεν -- γέροντος πεντήκοντα. **H**ic autem debitor interrogatus de debiti summa, respondit, (Verba dicendi enim saepe respondendi notio nem habent apud Graecos,) aperie. **C**entum debo batos olei, qui summa nongentorum circiter loachimicorum faciunt, si computandi ratio et preium, quea apud nos sunt, locum habeant. **B**atus enim cantharos circiter XXXVI capit, canthari autem pondus doae sunt librae, libra vero, si tribus grossis diuendita fuerit, tota batū summa erit IX loachimicorum, quanquam alii, batum ampliorem, alii uero non adeo amplum, nec tanti preii fuisse, statuunt, uid, EISENSCHMIDIVS de mensuris, p. 170. Qua audita summa dixit dispensator ipsi debitori. **A**ccepe tuum scriptum, per synedochēn, pro chirographo, et sedens scribe cito, sine mora et de liberatione, quia parum temporis est, et his forte conditionibus, ut ipsi, sorte aduersa, open ferret, quinquaginta. **F**urtum itaque est aperiuim, sed de modo querunt chirographi immutati, arque hic alii statuant, immutationem factam esse in literis numericis, quae sumimam ex prime.

primebant, C nimurum in L mutato, alii autem, nouum chirographum scriptum fuisse, in quo quinquaginta batū expressi fuissent, quam sententiam et ipse textus confirmare uidetur, in quo dicitur, scribe quinquaginta. Sed quaecunque res sit, sufficiat nobis scire, utrumque furem fuisse, et dispensarorem et debitorem.

Ἐπειτα ἐτέλεσθαι τοῦ πάσχεων οὐδείναντα. Deinde secundo, qui accedit, aut qui ratione temporis secundus erat, itidem dixit debitori. Tu autem quantum debes? Hic uero respondit candide, centum coros tritici, qui omnium maximus modiorum era modius, ac decem capiebat batos, uid. EISENSCHMIDIVS, l. c. *Hoc audito pari modo dixit ipsi. Cape scriptum tuum, i. e. chirographum, et scribe, octoginta, quod factum, aut praeponendo literae C, duas XX, hoc modo XXX, aut nouum chirographum adorando. Atque hac ratione illicita et modo iniusto etiam reliquos debitores domini sui sibi conciliauit amicos et debitores, ut munere dispensationis se deiectum recipient, receptumque alerent.*

ΠΡΟΣΟΙΚΕΙΩΣΙC

- I Peccatis qui seruunt, neque poenis, neque calamitatibus, corriguntur semper, Ies. IX, 13, Ier. II, 30, sed peiores saepe fiunt, ac peccata peccatis cumulant, in condemnationem suam, Rom. II, 5.
- II Hoc est ingenium iniusti hominis, ut non tantum ipse peccet, sed etiam alios seducat, et ad peccandum inciteret. Noli cum eo commercii quicquam habere, ne praeter omnem expectationem te dolose, et specie utilitatis, circumuenias.
- III Errare et labi est humanum, sed in errore perseverare, eique errorum consulto cogitatoque addere, est diabolicum, i. Io. III, 10.
- IV Fraudes, furta, et induratio sunt otii, luxuria, et commissationum fructus. Utinam homines fugerent hanc charybdin.
- V Si hic, uel ille, in iuuentute laborasset, nec otio, aut luxui, indoluisse, in senectute non in mendicorum, aut furum, societate reperiiretur.
- VI Quam propensi ac prudentes sunt homines ad male agendum, sed ad bene agendum quam aegre adducuntur! Ps. L, 18, Ier. X, 12, Rom. XVI, 19. O peruersum depravatumque genus, Gen. IX, 21.

VII At-

VII Aitende, quam potens sit utilitatis species, quae hominem ad iniustiam usque adigere possit, et eo magis caue, ne illius desiderio, aut persuasionibus aliorum, in idem incidas uitium.

IX Eleemosynas erogare, et benefacere proximo ex bonis propriis, est laudabile ac pium, sed aliena in hunc usum convertere, est impium, et futti species, *Pf. CXII, 5, Matth. XXIII, 14.*

X Iniustus, qui aliis praeest, ac Principi, ac reipublicae damna infert. Auerat hanc calamitatem DEVS ab unaquaque terra!

VERSVS 8 ET 9

¶ Καὶ ἐπήνεσεν ὁ κύριος τὸν οἰκουμένων τῆς ἀδικίας, ὅτε Φρονίμως ἐπόνησεν. Οὐ δὲ οὐσιοῦ τοῦ αἵματος τούτου Φρονιμότερος ὑπὲρ τοῦ ἡρώς τοῦ Φωτός, εἰς τὴν γενεὰν τὴν ἑαυτῶν εἰσι. Κάγγα ύμην λέγω. Ποιήσατε ἑαυτοῖς Φίλους ἐκ τοῦ μακροναζοῦ τῆς ἀδικίας, ἵνα, ὅταν ἐκλίπητε, δέξανται ύμᾶς εἰς τὰς αἷματος σκηνάς.

Et laudauit dominus dispensatorem iniustitiae, quod prudenter fecerat. Certe filii seculi huius prudentiores prae filiis lucis, in generatione sua sunt. Ego vero uobis dico. Facite uobis ipsi amicos ex manuina iniustitiae, ut, quando defeceritis, recipiant uos in aeterna tabernacula.

Ε Ζ Η Γ Η Σ Ι Σ

Καὶ ἐπήνεσεν ὁ κύριος -- εἰς τὴν γενεὰν τὴν ἑαυτῶν εἰσι. Dominus autem, postquam audiuerat, quibus fallacieis sibi prospiciendi, usus erat, laudauit oeconomum, non ob malitiam et iniustitiam eius, quod peccata peccatis cumulauerat, et iniustitiam iniustitiae addiderat, ideo enim vocatur oeconomus iniustitiae, h. e. omnium iniustissimus atque nequissimus, vid. de hoc emphatico scribendi genere, *Vindiciae nostrae p. 214*, sed quod uirae suae curam prudenter habuerat, ne misere periret, prout ipsius mentem expnunt uerba, quod prudenter fecerat. Quapropter iniurius fuit Julianus apostata, itemque Porphyrius sophista, in Seruatorem nostrum, qui eum ideo fruole traduxerunt, ac criminati sunt, ac si hac parabola, iniustitiam, fraudes, furta, et quae sunt alia, comprobassent, cum tamen, quae mens ipsius fuerit, ex parabolae scopo manifesta fuit. Inte: preteratio uero alia locum habere non potest, quam haec. Filii huius seculi, qui a uera Ecclesia sunt alieni, adeo de

de vita hæc temporeæ, quæ tamen uana est, sunt solliciti, ut quibusvis modis, si uel maxime etiam sint illiciti atque iniusti, eam conseruare allaborent, Iudei autem, qui filios lucis sese iactant, ne iustis quidem mediis, iisque ipsis oblatis, utuntur ad uitam, quæ in aeternum durat, consequendam, adeo enim imprudentes sunt, ut ne curam quidem eius tantam, quantum illi illius, habeant. Atque hanc interpretationem confirmat sententia, quam Dominus de diuerso utriusque uite studio tulit his verbis. *Profecto, etenim, filii seculi huius, per quos omnes illi intelliguntur, qui filii lucis opponuntur, h. e. irregeniti, qui ea, quæ mundi sunt pro uirili quarant, atque in rebus humanis sibi proprie-
tate student, quantum id fieri potest, prudentiores sunt p̄ae filii lucis, h. e. Iudei, (de Christianis enim, ut perplures facient interpres in hac parabo-
la, cogitandum non est,) qui semper ipsos pro filiis lucis et regni coelestis ha-
bebant, conf. *Matth. V, 20, II X, 12, Luc. XI X, 9; Io. II X, 39, Rom. II, 19,* nec tamen uitæ furvae curam habent tantam, *in suo genere*, qua locu-
tione prudentia partim limitatur, quod non in omnibus illi sint prudentio-
res his, partim etiam subiectorum particularitas indicatur, quod non omnes
filii lucis, sed tantum hypothetice tales, quales Pharisei erant, sint intelli-
gendi, ad quos tota haec parabola applicanda erat comprimita, ut eius sensus sit. DEVS quidem constituit uos Phariseos dispensatores suos, sed uos male bona eius, uobis commissa, dispensatis, ratione enim spiritua-
lium, arcetis a regno DEI, qui introire uclunt, iisque uitam aeternam inuidetis, et cum uos statuatis, homines per opera ac diuitias, licet uel ma-
xime iniuste sint parta, saluari, conuenit uobis, qui φιλάργυροι estis, ut ex
uestris diuitiis, quæ male partae sunt, *Matth. XXIII, 14, in egenos beneficen-
tiae opera conferatis*, quo aliquando recipiamini in tabernacula aeterna.
Atque hoc idem inferunt uerba Christi ultima, inquietis,*

*Kοίγω λέγω ὑμῖν, -- εἰς τοὺς αἰωνίους συννατ. Quare dico ac suadeo
υοῖς, ἵνα, ex uesta hypothesi, diuitiis, iniuste partis, in coelum introire
uultis, imitemini oeconomicum illum iniustum, et ad eius exemplum, faci-
te uobis amicos ex mamona iniustitiae, h.e. diuitiis, quas possidetis, iniuste con-
quisitis, ut, quando defeceritis munere deiecti, proper haec opera reci-
piant uos in aeterna tabernacula. Hac igitur ratione si instituatur parabo-
lae explicatio, omnia bene coherent, difficultates contra cessant omnes,
nec cogimus adeo anxie inquirere, quid intelligendum sit per φίλους, quid
per ἐνθάπτειν, quid per αἰωνίους συννατ., quinam sint δέχοντες illi, cetera.
Sed tamen, ne, hac in parte, intactum aliquid reliquisse nos, uideamus, pau-
cis haec expendemus, ordine hunc uersum exposituri, in quo ipse Sospitator
dat consilium auditoribus, parabolam ad eosdem nunc explicans, inquiens, Qua-*

re ego tum in specie *nobis*, quotquot hue adestis, et in primis *uobis* Pharisaeis, qui diuitias possideris, et, diuitiis aeternam uitam obtineri posse, statuitis, tum in genere omnibus reliquis, *Marc. XIII, 37*, dico et suadeo, ut imitemini iniustum illum *oeconomum*, et, sicut ille de uita huius conservazione fuit sollicitus, sic etiam uos de uita aeterna. *Facite igitur nobis met ipsi*, sicut ille, amicos, per quos immediate intelligimus, partim Apostolos, quos Dominus *Φίλους* suos vocat, *Io. XV, 14*, aliosque doctores, qui eos, doctrinam coelestem docentes, ad uitam aeternam perducere poterant, partim pauperes, qui precebus et suspiriis apud DEVM pro ipsis intercedunt, ex *mamona iniustitiae*, h. e. conferte beneficia ex diuitiis vestris, ut illi siant amici vestri, mediate autem per eos amici sient ipse Christus Θεός ωραῖος, qui sibi id tribuit, quod in pauperes confertur beneficia, *Matth. XXV, 40*, et Angeli, qui uos, hoc ex fide facientes, in sinum Abrahæ aliquando deportabunt, *Luc. XVI, 22*. Non enim opera saluos faciunt homines, licet id statuerent Pharisæi, et etiamnunc Pontifici, sed sunt notaे fidei, qua homo saluatur. Veruntamen, cum Pharisæi hanc hypothesis affererent uerbis, non autem factis, *Luc. XVI, 14*, ex ipsis hypothesis eos convincit Iesus, saluos fieri non posse, nec adeo prudentes esse, sicut *oeconomus* ille iniustitiae. Quodsi uero Pharisæi sua faucta fecissent opera, isti simul etiam in Christum credidissent, et salui essent facti hac fide, sed cum in Christum non crederent Φιλάγγυροι, neque etiam opera faciebant ex diuitiis suis, quae h. l. dicuntur μαρωνᾶ, quae vox Syriaca est, *opus denotans*, et quidem iniustitiae, h. e. iniustiae, vid. *Vindiciae*, p. 214, quae ideo h. l. dicuntur, quia iniuste erant partae a Pharisæis et Scribis, prout de eorum diuitiis hoc colligere licet ex *Matth. XXIII, 14*, *Luc. XVI, 14*, *XX, 47*. Atque hanc ob causam eo facilius ac luentius, ex his diuitiis iniuste partis, adeoque alienis, instar illius iniusti dispensatoris, facere debuissent amicos, si tanta ipsis cura fuisset uitæ aeternæ, quanta illi cura fuit uitæ temporæ. Sed euentus docuit, iuxta u. 14, Pharisæos neque ad haec uerba Christi, neque ad sequentia, quibus utilitatem exponit ac finem, attendisse sed derisisse, pergentis, ut, cum desecratis, scil. *uita*, a morte dispensationis officio deieci. Haec enim uocis ἐκλίπει significatio in profanorum quoque obseruantur scriptis, ut *DIONYSII HALICARN.* Lib. III *Antiqu. Rom.* Την δὲ ὅταν ἐκλίπωσι οἱ λαζόντες τοὺς ἀδωνάτας ἔχειν. Regnum autem, cum desecrerint, i. e. mortui, qui id accepterunt olim, ad eos redire, qui dederant. Integra autem phrasis apud eundem legitur, Lib. II, ζῶντι πατέ τὸν βίον ἐκλιπόντι ὑπάρχει. Viuenti et ui-
ta deficiente remanebit. Plura ex *POLYBIO*, *LVCIANO*, *APOLLODORO*, aliisque collecta uid. apud b. *SCHWARZIVM* in *Comment. Gr. L. N. T.*

p. 440,

p. 440, et doct. ELIAM PALAIRET in Observat. in N. T. ad b. l. p. 195.
 Conf. Celeb. WOLLIUS ad Blackwallum, p. 37.) recipiant Angeli, DEI iussu, Luc. XII, 20, quibus hoc munus datum est, Luc. XVI, 22, non sancti defuncti, ut Pontificii errant, siquidem α) de viuis est sermo, in quos conferre debebant beneficia, β) potestas recipiendi, αὐτονοματοποιησis talis, est penes DEVUM solum, et Christum, quibus haec data eit, Matth. XXIX, 18, Luc. XXIII, 42, 43, 46, Act. VII, 59, ministerialiter vero adscribitur Angelis, Luc. XVI, 22, Matth. XIII, 30, 41 nullibi vero mentio fit sanctorum, quod isti hoc munere perfungantur, γ) Dominus ex Iudeorum hypothesi loquitur ad eos, illos autem unquam statuisse, quod sancti recipient in celum, me legisse non memini, quamvis statuerent, animas beatorum ab Angelis deportari in sancti Abraham finum, easque conuersari cum sanctis, Matth. IX, 17, Luc. XVI, 22. Christus itaque recipit beate defunctos, Act. VII, 59, Angelorum ministerio, et de quibus h. l. dicitur, ut recipient iussu diuino nos, qui bona huius mundi, licet aliena fuerint, larga manu et uera fide ad egestatem ueque, Matth. XIX, 21, distribuuntis inter amicos DEI, hoc testantes, Matth. XXV, 40, in tabernacula aeterna, quae locutio desumpta est a tabernaculo foederis, que alibi quoque DEI beatorumque habitatio exprimitur, Hebr. IX, 2, IX, 11, Apoc. XXI, 3.

ΠΡΟΣΟΙΚΕΙΩΣΙΣ

- I Ut in hoste laudanda est uirtus, sic in improbo quoque id, quod laudandum est, laudari debet, licet ipsius uitia nunquam probentur.
- II Utinam Christiani tantam adhiberent curam ac prudentiam in uita consequenda aeterna, quantam irregeniti adhibent in uita conservanda temporea, ea non inferiores essent irregenitis. imitemur ergo horum industriam, prudentiam, ac studium eo magis, quo magis uita aeterna temporae est anteferenda, nec ipsis palmam, quod dedecori est, concedamus.
- III Cuaeant sibi Christiani, ne ingenio, quo excellant, egregio abutantur, sed in DEI gloriam, sui salutem, ac proximi utilitatem hac diuina urantur dote.
- IV Non omnes, qui, filios lucis se esse, iactant, sunt filii lucis, Luc. XIX, 9, Io. IX, 39, Apoc. II, 9. Idcirco eo annitatur, ut non nomine tantum, sed re et nomine filii lucis simus, Io. XII, 35, 36, Eph. V, 9.
- V Quamuis bona opera non saluent, sed notae fidei sint, Matth. V, 8, Iac. II, 18, magnam tamen habent promissionem, nec sine iis fides sanctificans esse potest, Matth. X, 42, XXV, 40, Gal. V, 6.

VI Eleemosynas qui dat egenis, Domino dat mutuo, eumque sibi facit amicum, ac thesaurum seponit in coelo, *Ps. 112, 5, Prou. XIX, 17, Matth. X, 42, XIX, 21, XXV, 40.* Quo quidem tutius cum elocari non possint diuitiae, bene faciamus proximo, et in primis credentibus, *Gal. VI, 10, quia Christi membra sunt, ac pro nobis nostraque salute DEVM orant.*

VII Expende diues, quod diuitiarum sis dispensator duntaxat, ea que tibi non tua saltem causa, sed proximi etiam ergo, sint datae. Reste ergo iis in DEI gloriam, in tui et proximi utilitatem, utere, *Eccles. V, 18, VI, 1, 2, 1 Tim. VI, 17, seqq.* Conf. προσωπικ, antecedentes.

IX Magna cautio ditibus, in bonis dispensandis, a DEO sibi commissis, est adhibenda, altera ex parte, ne ea dilapident, aut luxuriosi fiant, *Iac. V, 1, 5, altera ex parte, ne nimis earum amore capiantur, et auari aut superbi fiant, Eccles. VI, 1, 2, 1 Tim. VI, 9, 10, 17.*

X Cum uanae sint diuitiae, *Eccles. I, 2, 14, Iac. V, 1, seqq.* noli iis litare, aut cor tuum oppignorare, sed ita utere, ut tibi fiant thesauri in coelis sepositi, uid. προσωπικ. VI.

X Attende, quam periculosa sit diuitium conditio. Dum uiuunt, diuitiae plerisque fiant laquei interitus, *1 Tim. VI, 9, dum moriuntur, eos a uita aeterna excludunt, Matth. XIX, 23.* Noli ergo diuitias appetere, *1 Tim. VI, 9, si uero possides, reste utere, iisque tibi concilia amicos, qui te sucipliant in aeterna tabernacula, Matth. XXV, 40.*

XI Ex gratia quidem datur uita aeterna, *Eph. II, 8, sed tamen iis, qui uera fide in Christum, patientia, et bonis operibus ad eam contendunt, Rom. II, 7.* Id quod bene notes.



CAPVT

C A P V T II

Q V O

EVANG. DOMIN. X POST TRINITATIS

LVC. XIX, 41 — 48, EXTANS

ILLVSTRATVR

V E R S V S 41 E T 42

41 Καὶ ὡς ἦγγισεν, ἴδων τὴν πόλιν ἐκλαυ-
42 σεν ἐπ' ἀντῆ, λέγων· Οτι εἰ ἔγνως καὶ
σὺ, καὶ γέ ἐν τῇ μέρεσσοι του τάχτη, τὸ
πέρος εἰρήνην συντύν δὲ ἐξεύθη απὸ τῶν
ἔφθαλμῶν σου.

Cum uero appropinquasset, et uideret
ciuitatem, fleuit super iustum, dicens.
Oſ cognosceret etiam tu, et quidem in
die tua hac, quae ad pacem tuam, nunc
autem abscondita sunt ab oculis tuis.

Ε Ξ Η Γ Η Σ Ι Σ

Kαὶ ὡς ἦγγισεν -- λέγων. Cum uero Iesus, Hierosolymas contendens, ut
pro toto mundi peccatis nunc satisfaceret in ara crucis, *Luc. XXIX, 31,*
seqq. appropinquasset, magnis cum discipulorum plausibus, et ciuitatem, quae
ipsius oculis, ex monte oliuarum descendantis, sese obtulerat, uideret, non
tantum humanitatis, sed diuinitatis etiam oculis, quibus miserrimum
eius statum indurationis et excocationis praefente, quo se, Saluatorem,
essent reiecturi, tristissimum horrendi excidii futurum, quo funditus Hiero-
solyma essent delenda, ei denique finalem populi Iudaici interitum contem-
plabatur, quo perique in aeternam ruerent condemnationem, Saluatore de-
stituti, fleuit, non sua causa, quod ingratii ciues ipsum cruci affigentes sint
necaturi, sponte enim uitam suam ponebat, *Ies. LIII, 4, 10, Io. X, 18*, sed mi-
sericordia, amore, et Φιλανθρωπίᾳ adductus super eam, h. e. super incolas
per metonymiam, ut ex uersu sequ. id intelligitur, quod illi misere sint
interituri, non tantum qua uitam corporis in obsidione cum ipsa ciuitate,
sed etiam, qua animam et uitam futuram, utpote qui non credebant in
Christum, Saluatorem mundi, *Marc. XVI, 16, Io. III, 18*, quos tamen ma-
gno pretio, scilicet sanguine suo, redemerat, *i. Petr. I, 19*. Quae lacrymae nos,
tum de ineffabili eius amore erga homines peccatores, conf. *Rom. V, 8*, tum
de seria eius uoluntate saluandi eos, *Matth. XXIII, 37*, conuincunt. Vt enim
atroc-

atrocissima Christum, Dominum nostrum, afficerent iniuria, qui statuere uellet, Dominum non serio, sed hypocritice lacrymasse, eiusque lacrymas Crocodili lacrymis fuisse similes, sic, eum nolle mortem peccatoris, sed uelle, ut omnes iuuentur ac saluentur, euangelum est Ez. XXXIII, 32, 1 Tim. II, 4, nec obstat exceptio eorum, qui, notante b. BACKIO, l. c. p. 284, ita concludunt, *Non opus est, ut fleat is, qui malo potest mederi.* At Christus malo Hierosolymorum urbi imminentि mederi poterat, cur ergo plorat? quandoquidem idem ille recte moneret, inquiens, *Dicam, et iudicis et mediatoris hic concurrere ibrenos.* Bias damnans maleficum, acerbe plorauit, cumque interrogaretur, *ecquid ploraret, cum in sua esset manu, cum uel absoluere, uel punire?* respondit, se flere ut hominem, baculum autem frangere ut iudicem. Idem Christo accidit, plorat ut mediator, tandem punit ut index, cum extremis malis extrema querenda sint remedia. Similiter longissime aberrant a ueritate etiam ii, qui Domino uitio uertunt laerymas, non expendentes, summos quoque heros ac Prophetas calamitatem atque inferitum hominum defleuisse. Sic praeter alios, in sacris literis, deslet Elisa futuras calamitates ac mala, quae perpessurus esset populus Israeliticus ab Haseale, 2 Reg. IIX, 7, seqq. quidni ergo tempoream et aeternam deflere decuit Salvatorem et Φιλανθρωπον? Sic desleuit Danides Saulum, persecutorem suum, 2 Sam. I, 12, 19, seqq. er improbum filium Abdonem, 2 Sam. XIIIX, 33, quidni ergo Dominus Iudeos improbos, quos sanguine suo redemit, quidni creator creaturas, culpa sua interitur, deflere? Sic, inter profanos, Xerxes deflet exercitum suum, breui interitum, sic Scipio Africanus deflet euerionem Carthaginis, Marcellus Syracusas deletas, Julius Caesar mortem Pompeii violentam, reliqui. Minus recte ergo, nec prudenter satis gerunt ueteres nonnulli, qui lacrymas Christi, amoris, commiserationis, ac Φιλανθρωπίας testes, ex hoc loco tollere sunt conati, prout testis est ΕΠΙΡΗΜΑΝΙΣ, Tom. II, in Ancorato, p. 36, scribens, Οὐδέποτε αὐτὸν τὸ ἐγένετον ΕΚΔΑΤΣΕ, Φοβηθέντες, καὶ μὴ νοστήσας αὐτοῦ τὸ τέλος καὶ τὸ ισχυρότατον. Orthodoxi sustulerunt uerbum fleuit, metuentes et non intelligentes eius uim ac robur, ac simul temerariae huic correctioni, uel rectius depravationi, textus sacri tum alia opponens exemplaria, in quibus ipsum uerbum ἐκλαυστε, legatur, tum Irenaeum, qui lacrymarum hoc testimonio usus est contra eos, qui, Christum specie tantum apparuisse, statuerunt. Et quod si lacrymare indigneum fuisset Christo, reliquos etiam locos, in quibus Christus, ut in cruce, er ob Lazarum defunctum, lacrymisse dicitur, Io. XI, 35, Hebr. V, 7, tollere debuissent. Ter igitur, lacrymisse, quod certum est, utrum septies, ut nonnulli uolunt, nimurum 1) in nativitate, 2) in circumcisione, 3) super Hierosolyma, h. l. 4) cum Lazarum

zaram resuscitarēt, 5) occasione prædictionis Iudee, 6) in horto, 7) in cruce, incertum est. Lacrymavit autem Dominus, non ex affectu infirmitate, quae nostra est conditio, qui peccatores sumus, sed ex affectu amoris et miserationis, prout reſte post AVGVSTINVM, Libr. XIV de Civitate DEI, cap. X, BERNARDVS, Serm. I de Resurrec̄. apud b. GERHARDVM in Harm. Euang. p. 126, obſeruavit, scribens, Neque enim, in quo ueruerat homini, corpus et ueru homini animus, falso erat humanus affectus. Ille bos motus certae dispensationis gratia ita cum uoluit, suscepit animo humano, ut cum uoluit, factus est homo. Nos illas affectiones habemus ex humanae conditionis, infirmitate, non autem ita Dominus Iesu, cuius et infirmitas fuit ex potestate. In locum uero, ubi Dominus lacrymauerit, si disquisiuferis, fuit ille mons oliuati, quem Dauid olim Cedronis riuolum transiens, ac peccata sua deflans, ascenderat, 2 Sam. XX, 23, 30, Iesu autem, totius mundi peccata sustineos, Ies. LIII, 6, Io. I, 29, imprecentiarum Hierosolymorum peccata, ob ea que fururas calamitates, medias inter laetitias ac gaudia populi exultantia, eumque honorantis, Matth. XXI, 8, 9, ac discipulorum suorum, Luc. XIX, 37, deflens, quod frustra ea portet, eundem descendat, Romani uero poſthac, lacrymarum Iesu vindicess, in eodem caſtra, non fine omnime, metiti ſunt, IOSEPHUS reſte, Lib. V, cap. II, p. 321, edit. Hauercamp. ſcribente, Demandatum autem ipſis erat, ut, cum sex ſtadiis ab Hierosolymis abeſſent, caſtra metirentur, πατά τὸ ἔλαιον καλοδιμενον ὅρες, ὁ τῷ πόλει πέρος ἀνατολὴν αὐτίκεσται, iuxta montem olearum nuncupatum, qui ciniat ueruſis orientem adiacet, interiecta profunda ualle, quae Cedron fuit appellata, et a qua torrens huius nominis nomen cecepisse uidetur. Plura qui desiderat de his propheticis, ſacerdotib⁹, ac regiis Iefu nostri lacrymis, amoris, misericordiae, humanitatis, et ſeriae voluntatis ſuuae, quod ſalutem uoluerit Iudeorum, testibus, is auſtores, a b. WOLFIo in Cur. Phil. ad h. l. allegatos, euſtut.

Δέγων, εἰ ὅτι ἔγνως καὶ σὺ, -- διὸ ὡφθαλμῶν σου. Dicens, indicatus finem lacrymarum ſuarum, O ſi, ſi quaſo, eo enim ſenſu accipitur a Graecis nonnunquam uocula ὅτι, cognoscere, et cognoscere uelles, Matth. XXIII, 37, etiam tu, ciuitas excoecata et indurata, ſicut ego, miseriā tuā, cognofeo, tibique torties indicaui, quae propter peccata tua, ad coelum clamantia, (De quibus ipſe IOSEPHVS, Lib. V, cap. XIII, § 6, p. 362, hanc fert ſententiam, ſcribens, Οὐαὶ ὑποτελέαμι εἰπεῖν, ἀμοι κελέεις τὸ πάθος. Οὐαὶ ραψάμον βραδύνοντος, ἐπὶ τοὺς αἰλιτηρίους, η̄ καταποθῆναι ὑπὸ χάσματος, η̄ καταλυθῆναι τὴν πόλιν, η̄ τοὺς τῆς Σοδομοῦ τῆς μεταλαβέντες κεραυνούς· πολὺ γαρ τῶν ταῦτα παθόντων ἐνεγκεκενεδέν, ἀθεωτέραν· τῇ γοῦν τούτων αἴπονοί τὰς ο λαὸς συναπώλετο. Nequaquam

quam uerebor palam dicere, quae dolor inbet. Evidem arbitror, si Romani sceleratis istis exitum inferre cessasset, futurum fuisse, ut urbs aut terrae biatu absorberetur, aut eluione deleretur, aut soli Sodomitici fulmina experiretur, multo enim magis impiam progeniem edidit, quam erant, qui haec perpetravit sunt. Itaque simul cum i'storum uesperia uniuersus populus interit.) afferi non potest, nisi fide in me credideris, ac lacrymas poenitentiae quoque effuderis, sed quoniam incredula es, et in incredulitate tua perseverabis, me cruci affixura redemptorem tuum, eam non cognoscis excoecata, neque cognoscere uis, licet semel iterumque te acclamarem, O si cognosceres etiam tu, sicut reliqui credentes cognoverunt ea, quae animabus suis profuerint, et quidem in hoc die tuo, quae est uisitationis tuae gratiose ac salutiferae dies, i.e. tempus, vid. *Vindiciae*, cit. p. 58, seqq; quo tibi salutis media et iram DEI effugiendi, a me Messia offeruntur, idque salutis tempus iam olim promissum maioribus tuis, anxie expectatum fuit,) quae (rā pro ἀ scribitur, ad pacem tuam, spectant, tum tempoream, qua tuae felicitatis ac prosperitatis status, moenia, incolarum corpora ac uita, magnifica aedificia, ac reliqua bona tua conseruarentur, tum spiritualem, qua animae incolarum tuarum saluarentur, mediante agnitione met. Messiae, et fide in me, nunc nero, pro ratione status tui, ob incredulitatem et excoecationem tuam malitiosam, qua oculis uidentibus non uidere, nec auribus audiensibus audire uis, licet posses, Matth. XIII, 14, 15, 2Cor. IV, 4, sunt abscondita. Nam toties tibi salutis tempora ante oculos posui, et ad poenitentiam te vocans, te congregare uolui, sicut pastor oves, Ez. XXXIV, 11, 12, 23, Matth. X, 6, 7, XII, 11, sicut gallina pullos suos, Matth. XXIII, 37, sed noluisti, hinc, quoniam lucem Euangeli, meque Messiam, atque poenas tibi denunciatas, oculis mentis uidere noluisti, abscondita sunt ab oculis tuis tempora, tum gratiae, quae contempnis, tum iudicis, quo DEVS severissimas abs te sumet poenas, quae non credis ea tibi imminere, sed, licet non credas, certe tamen uenient.

ΠΡΟΣΩΙΚΕΙΩΣΙC

I Si tunc eo maior Christi est commiseratio, amor, et misericordia erga peccatores, quo propinquiora sunt supplicia, ut eos, vel lacrymis, ad poenitentiam agendam moueat, profecto seriam eius esse uolunratem eos saluandi, nec uelle, ut pereant, pater, Ez. XXXIII, 11, 1 Tim. II, 4, 2 Petr. III, 9. Caveant ergo mortales sibi, ne Saluatorem totius mundi, Ies. LIII, 4, 5, 6, 10, I, 29, III, 16, 1 Tim. IV, 10, simulationis uitii insimulent, eiusque satisfactionem uniuersalem, 1 Jo. II, 2, particularem faciant.

II In-

- II Infelices homines! qui in diem uiuent et securi peccant, laetantur ac gaudent, nec tamen sibi persuadent, poenas sibi imminere. Flent legati Iesu, *Ies. XXXIII, 7*, nec tamen attendunt. Utinam recordarentur orbis antediluviani, *Gen. VI, 3, 5*, *Luc. XVII, 27*, generorum Lothianorum, *Gen. XIX, 14*, euerisionis Hierosolymorum utriusque, *2 Chron. XXXVI, 15, 16*, *seqq. Luc. XIX, 43, 44*, et, quoad tempora gratiae durant, *2 Cor. VI, 2*, resipiscerent.
- III Noli Domino nostro inconsiderate uitio uertere, quod lacrymauerit. Expende tot animarum pretium, quas sanguine redemit frustra, nonne flendum? Disce porius exinde partim ineffabilem eius amorem erga peccatores, seruumque eius eos saluandi amorem, *conf. περὶ σωτηρίας I*, partim tibi redeundi ad Iesum patere fores, *Io. VI, 37*. Noli ergo hoc tempus gratiae negligere, multominus contemnere, sed, dum hodie est, redi, *Hebr. IV, 7*.
- IV Memento homo curare ea in tempore gratiae, quae ad pacem tuam, quoad tempora gratiae durant, *2 Cor. VI, 2*, atque, dum hodie est, in gratiam redi, *Rom. XIII, 11, 12*, *Hebr. IV, 7*. Posthaec nulla datur salus.
- V Nihil magis obest hominibus, quam securitas. Securi enim sibi sancti, sibi infi, sibi infantes, uidentur, hiūc neque peccata sua agnoscent, neque, quae ad huius, neque quae ad futurae, uitae spestant felicitatem, curant. Inuigila igitur, proba, et tenta temet ipsum, utrum in fide sis, *1 Cor. XVI, 13*, *2 Cor. XIII, 5*, contra uero fuge securitatem, tot hominum peccatum, ne te quoque perdat.
- VI Cum condemnatus fueris aliquando peccator, tibi ipsi culpam tribuas, non Christo. Toties te congregare uoluit, toties te vocauit, uerbo suo, *Matth. XXIII, 37*, *2 Cor. V, 20*, sed tu nolusti tu tempora gratiae agnoscere nolusti, *Ier. VI, 16, 17*, tu lacrymas Christi contempsisti.
- VII Non D E I voluntate, peccator, sed tua ipsius induratione, abscondita sunt ea, quae ad salutem tuam, tua ipsius induratione iram D E I tibi coaceruas, neque exceceras, quo minus uideas lucem Euangelii, *Matth. XIII, 14, 15*, *Rom. II, 5*, *2 Cor. IV, 4*.

VERSUS 43 ET 44

43 Οτι ἔξουσιν ἡμέραι ἐπὶ σε, καὶ περιβαλούσιν οἱ ἔχθροι σου χάρακα σοι, καὶ περικυκλώσουσι σεκάι συνίξουσι σε παντόθεν. Καὶ ἑδαφίουσι σε, καὶ τὸ τένας σου ἐν σοι, καὶ οὐκ ἀφίσουσι ἐν σοι λίθον ἐπὶ λίθῳ, ἀντὶ ὃν οὐκ ἔγνως τὸν παύρον τῆς ἐπισκοπῆς σου.

Nam uenient dies contra te, et circumdabunt inimici tui nullum tibi, et circumcingent te, et coangustabunt te undique. Et solo aquabunt te, et liberos tuos in te, et non relinquunt in te lapidem super lapidem, quoniam non cognovisti tempus uisitationis tuae.

Ε Σ Η Τ Η Σ Ι Σ

Oti ἔξουσιν ἡμέραι — παντόσεν. Nam, profecto, uid. *Vindiciae*, p. 287, uenient dies, i. e. tempus, iuxta *Vindic*. p. 58, seqq. aliud, quod non gratia, adeoque nec tuum, ut in uersu anteced. dictum est, uisitationis gratiosie tempus erit, quo amplius tibi obtingat haec felicitas, ut possis tuam curare pacem, sed irae diuinae, hinc uenient contra te dies illae, et hostium tuorum tempus illud, quo circumdabunt, quadraginta abhinc annis elapsis, hostes tui, Romani, duce **TITO VESPASIANO**, nullum tibi, siue, ut **ARRIANS** scripsit, *Alexander duplici χάρακι περιβάλλει*, uallo cingit urbem, quod muniti et obsidendi genus ex palis inuicem iunctis et ligneis uinculis connectis, conficiebatur, vel eo modo, ut apud nos *pallisadae* audiunt, vel instar muri, hinc **IOSEPHO** etiam hic nullus, quo Hierosolyma a Tito fuerunt circumdata, τεῖχος murus dicitur, scilicet ligneus, triplex enim muros conficiendi genus erat veteribus, ex lapidibus, ex terra, et ex lignis, prout haec omnia probauit egregie b. **RAPHELIVS** in *Notis Polyb.* ad h. l. p. 230, seqq. Adhibebant autem veteres hanc uallo lingneo obsidendi rationem, quando exercitus urbis amplitudini non sufficiebat, ut idem **RAPHELIVS**, l. c. obseruauit recte, et *Iosephus* indicauit ipse. Cum enim *Titi* exercitus non sufficeret Hierosolymis circumcludendis, talis conficiebatur, habita a ducibus deliberatione, murus, tredecim adstratis castellis, in quibus custodes constituebantur, cuius ambitus XXXIX stadia completiebatur, siue ut uerba **IOSEPHI**, *Lib. V. c. XIII.*, p. 358, in latinum sermonem conuersa fluunt. Et murus quidem uno minus XL stadium erat, eique foris adstralia erant tredecim castella, eorumque ambitus denis stadium numerabatur. Totum autem opus triduo conseruatum erat, ut id quidem dignum mensibus uideretur, celeritas uero fide careret. Muro autem circumclusa ciuitate et custodibus per castella collocatis, primas noctis excubias ipse *Titus* obibat, et omnia explorabat, secundas uero *Alexandro* mandabat. Atque hac ratione tota ciuitas, ut Dominus

minus praedixit, *vallo*, siue muro ligneo erat circumdata, ei a militibus simul, qui in castellis erant collocati ad excubias agendas, circumiecta, prout ipse Iosephus, Lib. V, c. I, uoce κυρλάσσαθαι de exercitu, siue militibus utitur. Quo facto sequitur tertium momentum a Christo praeditum, et coangustabunt te, in angustias te redigent, undique, extra, munitum, gladio, relis, globis, et quae bellica instrumenta sunt alia, intra muros nero, fame cum primis, ex qua morbi, rapinae, latrocinia, mors ipsa, et innumeræ aliae calamitates originem trahebant, quae tantæ erant, quantæ, iudice Salvatore, nec ab origine mundi fuerunt, nec unquam erunt, Matth. XXIV, 21. Id quod ex ipsis Iosephi quoque historia discitur, inter alia scribentis, Lib. V, c. X, p 352, Omnes quidem animi affectus longe superat famem, nullum uero aeque euerit ac uerecundiam, nam quicquid alias dignum est reuerentia, in fame contemnitur. Siquidem uxores viri, et parentibus filii, et quod omnium maxime miserabile erat, matres infantibus cibum ex ipso ore rapiebant, et marcescentibus inter manus carissimis liberis uitales lacrimæ guttas adimere non pigebat. Huiusmodi autem cibos dum caperent, latere tamen non poterant, ubique scilicet seditionis praedae istorum rapinis immiscebant. Nam ubicumque clausam domum conspicerent, eos, qui intus essent, cibum sumere hoc indicio suspicabantur, statimque, effraetis foribus, irruerant, et prope ex ipsis fauicibus expressa ciborum frusta revocabant. Vapulabant senes, qui escam mordicis tenebant, et capillis rotabantur mulieres, occultantes ea, quæ in manibus erant. Nulla canorum, nulla infantiae, miseratione erat, sed raptos in sublime parvulos, cum ipsis, quibus penduli inhaerabant, buccellis, solo allidebant. Si vero incursum eorum praeuenirent, idque, quod ipsi rapturi erant, deglutire occupassent, eos inhumanius tractabant, quasi iniuriam ab ipsis accepissent. Porro, dira tormentorum genera excogitabant, ad perueligandum alimentum, miseris pudendorum quidem meatus neruis obturantes, podicem uero praeacutis sudibus transfigentes, cetera. Et cap. XIV scribit, Iudeis autem, cum egrediendi facultate spes quoque omnis salutis praecisa erat, et famæ ingraescens per domos et familias populum depascebatur. Ac recta quidem plena erant mulieribus et infantibus fame enectis, angiportus uero senibus mortuis reserti. Pueri autem et iuuenes ex fame intumescentes, veluti simulae quaedam per foras oberrabant, et ubicumque quis labe correptus fuerat, procedebat propinquorum cadavera sepelire neque ualchanci aegri, et qui adhuc integris viribus erapt, tum multitudine mortuorum, tum, quod de vita sua incerti essent, ab humatione absterrabantur. Plerique enim, dum alios sepelirent, ipsi mortem olierunt, multi etiam, antequam fatalis hora adesse, ad uicinas et sepulchra properarunt. - Sed his malis grauiores erant prædones. Effusæ quippe domibus,

bus, quae in sepulchra conuersae erant, cadauera spoliebant. -- Postea cum corporibus humandis nequaquam sufficienter, in profundas uoragini de muro ea proiecabant. Has uero cum Titus forte circuierit, ubi oppletas cadaueribus uidit, altamque saniem putrefactis corporibus diffuentem, ingemuit, sublatisque in coelum manibus D E V M testatus est, facinus illud suum non esse. Atque ita quidem se res habebant in ciuitate. Et Lib. VI, c. III, p. 38^a, narrat, quod eas comedent res, quae ne sordidissimis quidem bruis essent usui, imo nec cingulis nec calceamentis, abstinuerunt. Quia scutorum coria auulsa dentibus confecerunt, ac foeni praelegmina uetusta et festucas mandebant. Imo de foemina quadam nobili, *Maria*, memorat facinus horrendum, quae ipsum filium latenter uiuulauit, coxit, et comedit. Atque haec si expendantur, uerum fuisse Salvatoris uaticinium, quod tantae calamitates fuerint, quantae ab origine mundi non fuerunt, quod eriam ipse I O S E P H U S, Lib. V, cap. X, p. 353, fatetur, inquiens, *Hoc autem dicit potest breuiter, μῆτρα πόλιν ἄλλην τοιαῦτα πεποθέναι, μήτρες γενέαν γεγονέναι κακίας γουμωτέραν, neque aliam urbem talia perpeßam esse, neque dominum genus aliud ab omni aucto sceleratus extitisse.* Atque hinc idem cap. XIII, p. 362, scribit, *D E U S erat, qui populum uniuersum damnauerat, et omnem ad salutem uiam ei in perniciem uertebat.*

Καὶ ἐδαφισθοῖ σε, -- τὸν παρὸν τῆς ἐπισκοπῆς σου. Et posthaec, cum capita fueris, solo aquabunt, ἐδαφισθαι, pro ἐδαφισουσι, uid. Hierocrit. P. I, p. 29, te ipsam, i. e. funditus euertent, id quod factum est, ut ex I O S E P H O discitur, et experientia testatur, nostra memoria, quandoquidem ne locus quidem accutare potest demonstrari, quo Hierosolyma fuerant condita, uid. T R O I L O in der Oriental. Reisebeschr. p. 222, et liberos tuos in te, h. e. incolas tuas ἐδαφισθαι, solo allidunt, utrumque enim habet significatum uox ἐδαφίζειν, quando de ciuitatibus ac pagis usurpatur, solo aqua-re, euertere, quando autem de personis, solo allidere, interficere denotat, ut Ps. CXXXVII, 9, *Μανάριος ὁ νεαρότερος καὶ ἐδαφίζει τὰ νηπία του πέρος τὴν πέτραν*, Bene si, qui comprehendet, et allidet infantes tuos ad petram, Hos. XI, 1, καὶ τὰ ὑποτίθεα αὐτῶν ἐδαφισθέται, καὶ αἱ ἐν γαστὶ ἔχουσαι αὐτῶν διαρράγονται. Et parvuli eorum allidentur solo, et grauidae disindentur. Nubum III, 10, καὶ τὰ νηπία αὐτῆς ἐδαφισουσι ἐπ' αεχάς τῶν ὄδαντων. Et parvulos eius allident solo in principiis utarum eius. Adhaec, non derelinquent in te lapidem super lapidem, quam locutionem pro hyperbolica et proverbiali habuit I O. O L E A R I U S de stylo N. T. ad h. l. sed minus recte, quandoquidem haec uerba ad templum respiciunt, quod intra Hierosolyma erat, uti uerba ē σοι id indicate satis manifeste, et asserta Domini

mini expressa, *Matth. XXIV, 2, Luc. XXI, 6*, nec non testimonium ΙΩΣΕΦΗ, *Lib. VII, cap. I, p. 403*, iuxta quod iussit Caesar ἀπασαν πόλιν καὶ τὸν νεών καταπιέσσει, uniuersam ciuitatem et templum funditus euertere, relictis tribus turribus et muri quadam parte, cet. De incendio autem templi, initio Tito, dicitur factum, uid. ΙΩΣΕΦΟΣ, *Lib. VI, cap. IV*, conf. b. WOLFI Curiae Philol. ad *Matth. XXIV, 2*. Rationem vero, cur has calamitares, ex ipso DEI iudicio immislas, essent experitura Hierosolyma, addit. Sospitator ipse, in uerbis, quoniam, propterea quod, non cognovisti, nec cognoscere uolueisti, tempus uisitationis tuae gratiosae, ad quod *Iohannes baptista*, *Ego ipse*, meique Apostoli, te toties inuitarunt, huique post meam resurrectionem te ulterius inuitabant, sed spreueristi id semper, et spernies, *Matth. XXIII, 37, Act. II, 13 seqq. III, seqq.* Quoniam ergo Hierosolyma uisitationem renuebant gratiae, experiebantur uisitationem iustitiae diuinae et excidium, prout hoc uaticinatus erat *Daniel, cap. IX, 26, 27*; et Dominus ipse indicauerat ipsis, ut poenitentiam agentes in gratiam redirent.

ΠΡΟΣΟΙΚΕΙΩΣΙC

I DEVS pro sua longanimitate poenas differt quidem, sed non auferet. Hinc nemo, peccator, sibi persuadeat, impune peccare sibi licere, quando poenae non statim irruunt, uenier dies iudicii tempestive, et uae tibi, si tempus gratiae neglexeris, *Rom. II, 4, 5, 2 Cor. VI, 2*.

II Bella, fames, obsidiones, euersiones sunt flagella ac poenae irati DEI, quibus ob peccata integrae regiones, prouinciae, ac ciuitates castigantur, ac saepe euertuntur. Non fortuito igitur bella exoriri, sed, peccata hominum causam esse, memento. A peccatis igitur desistamus, et flagella illa, DEVS auferet.

III O si Christianis terribilis Hierosolymorum euersio quoecunque tempore obuersaretur menti, ut tandem peccare desinerent, ac poenitentiam agentes cum DEO in gratiam redirent, ne easdem aliquando experiantur calamitates.

IV Liberi saepe ob parentum peccata poenas iuunt, in primis, quando parentum uestigia premunt, *Exod. XXXIV, 7*. O immisericordes parentes, qui peccatis suis liberos calamitatum suarum faciunt socios!

V Ira D E I cum exarserit, ardet usque in infernum, *Deut. XXXII, 22, Thren. I, 12, II, 3, 20, seqq.* nec extingui potest, nisi poenitentia seria. In tempore igitur agamus poenitentiam, orantes, ne exardeat, nec in ira sua nos puniat, *Pf. VI, 2.*

VI Contemptus gratiae diuinae et Euangelii quot euerit regiones? quot Ecclesiastis? Vbinam sunt septem illae Ecclesiae? *Apoc. II et III,* ubi reliquae Orientis? Discite horum exemplo in tempore sapere, et poenitere, *Apoc. II, 5.*

VII Irae D E I, peccatis incensae, neque mumenta, neque arma resistere possunt, *Obad. u. 3, 4.* Metue ergo D E I iram altera ex parte, altera vero ex parte fuge peccata.

VIII D E V S, sine causa, neminem absolute punit, sed semper adsumt rationes, cur puniat, peccata tua, o homo, sigillatimque contemptus temporis gratiae.

IX Noli securus esse peccator Christiane. Si D E V S Hierosolymorum peccatis non pepercit, neque tuorum parcer peccatis. conf. προστιν. III. In tempore sapias, quae ad pacem tuam.

VERVS 45 ET 46

45 Καὶ εἰσελθὼν εἰς τὸ ἱερὸν, ἤρξατο ἐκ-
βάλλειν τὰς πολυόντας ἐν αὐτῷ καὶ
46 ἀγοράζοντας, λέγων αὐτοῖς· Λέγατε-
πται· Οἱ σίκες μου οἱκος προσευχῆς
ἐσιν, ὑμεῖς δὲ αὐτῶν ἐποιήσατε σπή-
λαιον λύστων.

Posthaec, cum ingressus esset in templum, incepit eiicere uendentes in eo, et ementes, dicens ipsis. Scriptum est. Domus mea domus orationis est, uos autem istam fecistis speluncam latronum.

ΕΞΗΓΗΣΙΣ

Καὶ εἰσελθὼν εἰς τὸ ἱερὸν -- καὶ αὐγοεῖταις. Posthaec, deinde, cum Iesos in ciuitatem aduenisset, *Matth. XXI, 10, n., Marc. XI, 11, et in templum ingressus esset Dominus templi, ac Rex Sionis, Hag. II, 8, Mal. III, 1, Zach. IX, 9, Matth. XXI, 5, incepit secunda uice, prima enim uice expulsionem factam esse, *Io. II, 15, seqq.* legimus, eiicere uendentes et ementes, columbas, boves, et oves, in eo, scilicet atrio templi, speciatimque, ut nonnulli uolunt in atrio gentium, uel, ut aliis iuxta IOSEPHVM placet, in atrio mulierum, uel ut SVRENHVSIO in libro καταλλαγῆς uidetur, ante atrium mulierum, ubi tabernae erant erefas, in quibus oleum, sal, columbae, et quae id genus sunt alia, ad sacrificia pertinentia, uendebantur. Constitutum enim erat a legis peritis, in eorum gratiam, qui procul a Hierosolymis habitabant, ut pro*

pro pecunia secum allata hic emerent victimas, aut munera offerenda. Sed, cum hic legatur *ἐν ἵερῳ*, omnino facimus *κατὰ ΙΩΑΝΝΟΝ*. Nullum enim uidetur dubium, quin, cum uenditoribus licitum fuisset ante atrium mulierum emere et vendere, illi ex speciali permisso et auaritia sacerdotum tabernas suas usque in atrium mulierum extenderint, atque hinc eum precantibus esset impedimento ac scandalo, et atrium istud, quod itidem sanctum erat, mercatura animalium profanabat, templi Dominus aequo animo id ferre non poterat, sed eiiciebat eos. Et quamuis impresestiarum uenditores cederent uerbo omnipotenti Domini, tamen illi post abitum eius, uespera enim Beathaniam iuit, redibant, adeo ut tercia uice eos expellere oportuerit, *Mare. XI, 25, seqq.* Quemadmodum uero omnino demirandum, quod sacerdotes non resisterent, lucro priuati, sic Hieronymus ad Matth. XXI, 12, pro omnium maximo habet miraculo, quando post Origenem, qui, *hanc electionem, indicat, magis fuisse miraculosam, quam conuersionem aquae in uinum, quoniam ibi inanimata subseruit materia, hic uero tot millium compescuntur ingenia, scribit, inquiens.* Plerique arbitrantur, maximum esse signorum, quod Lazarus suscitatus est, quod coecus ex utero lumen acceperit, quod ad Iordanem uox auditu fit Patris, quod transfiguratus in monte gloriam ostenderit triumphantibus. *Alihi inter omnia signa, quae fecit, hoc uidetur mirabilius esse, quod unus homines, et eo tempore contemptibilis et in tantum uilis, ut postea crucifigeretur, Scribis et Pharisaeis contra se seruientibus, et uidentibus lucra sua destrui, posuerit ad unius flagelli uerbera tantam exercere multitudinem, mensusque subniretere, et cathedras confingere, et alta facere, quae infinitus non fecisset exercitus.* Id quod partim omnipotentiae Domini adscribimus, partim efficacie uerbi divini, quo, se reos esse, agnoscabant, bene scientes, templum non esse profanandum, neque ex domo, ubi preces ad D E V M funderantur, esse stabulum et columbarium faciendum, imo speluncam latronum, prout Dominus in sequenti uersu loquitur.

λέγων αὐτοῖς -- ἐποίσατε σπῆλαιον λησῶν. Dicens, ne, nouas res moliri Dominum, criminarentur, sed de iniustitia et profanatione conuincerentur, *ipſi*, tum uendentibus, et ementibus, tum sacerdotibus, qui concesserant hanc profanacionem, ob pecunias, quas inde auari illi accipiebant. Scriptum est, *Ief. LVI, 7; Ier. VII, 11*, in quorum altero loco *Iesaias* templum uocat *הַבָּיִת הַזֶּה* domum orationis, in altero uero *Ieremias* interrogatione loquitur, *Numquid spelunca latronum facta est haec domus in qua nomen meum invocatum est?* Rationes eius reperendae sunt, ex n. 6, 9, et 10. Cum igitur tempore Christi sacerdotum conditio eadem esset, quae eorum erat tempore

pore Ieremiae, quod scilicet essent fures, latrones, adulteri, perfidi, et tamēn audebant in hoc templo coram D E O comparere, ad ipsumque prouocare, quasi esset domicilium hominum impurorum, quin imo cum in ea tabernas et mensas numulariorum, aliorumque mercatorum, qui homines defraudabant, ex avaritia, et turpis lueri causa, constituisserent, erant fures aperti, et cum traditiones hominum in eo docerent, tollebant verbum D E I, et cum animas seducerent, iisque inter precandum mercatura sua essent offensioni et impedimento, erant animarum latrones, ideoque illos procul abesse iubet ab hac domū, quia non impurorum hominum sit spelunca, sive locus, quo huiusmodi homines sese reciperent, sed piis sit destinata illa domus, ut ibi preces ad D E V M fundant, ideoque domus orationis dicta.

ΠΡΟΣΟΙΚΕΙΩΣΙC

- I Iesu simus imitatores, eiusque templa, more sanctorum, frequentemus, *Pf. XXVII, 4, LXXXIV, u, 12, Hebr. X, 25*, nostra autem corda, quae sunt templa D E I, emundemus fide ab operibus iniquitatis et carnis, *Mattb. XV, 19, 20. Act. XVI, 9, 1. Cor. III, 16, 17, VI, 19, 20, 2. Cor. VI, 16, Gal. V, 29, seqq.* si Dominus in iis habitare debeat, *Sap. I, 4, 5, Io. XIV, 23, 2. Cor. VI, 15, 16.*
- II Cum D E V S sit sanctus, eius eriam domus, cuius ornamentum est sanctitas, et nosmet ipsi debemus sancti esse, nec profano animo et impuris manibus ad eam accedere, *Leuit. XI, 44, 45, Pf. XCIII, 5, Ies. VI, 3, Ier. VII, 3, seqq.*
- III Decet V. D. ministros, ut pro gloria D E I, religionis, suorumque, sanctitate divino quadam zelo vigilent ac decercent, ne profanentur, *1 Reg. XIX, 10, 2 Cor. XI, 2.*
- IV Cautio non minus, quam prudentia, est adhibenda in perpurgandis Ecclesiis, nec temeratio ac priuato ausu, sed diuino quadam instinctu et auctoritate publica reformatio est suscipienda, *2 Chron. XXXIX, 5, seqq. XXXI, 3, seqq. 2 Cor. XI, 2.*
- V Ad templum accessurus expendas, quid sit templum, et quis tu sis, si profanus et impurus homo, procul hinc abesto. Profanum enim et sanctum nos consentient, *Pf. XCIII, 5, 2 Cor. VI, 15.* Expende cur accesseris, scilicet, ut ores et audias verbum D E I, *1 Reg. II X, 29, Ies. LVI, 7.* Expende cuius sit domus, D E I nimirum sanctissimi, ergo etiam te decer, sanctum esse et religiosum accedere, *vid. προσοικ. II.*
- VI Seclera publica publice sunt prostiganda, publiceque illi corrigendi, qui commiserunt, caute tamen, non tepide, *Apoc. III, 15, 1 Cor. V, 1, seqq. Conf. προσοικ. IV.*

VII Tem-

VII Tempa haereticorum sunt speluncæ latronum, qui animas in iis interficiunt ac perdunt, licet vel maxime auro, argento, aliisque ornamenti fulgeant, *Matth. VII, 15, XXIII, 15, 25, 27.*

IX Christianis ubique orandum est, *Luc. XIX, 1, XXI, 36, 1 Tim. II, 3, Eph. VI, 18, 1 Thes. V, 17,* eorumque domus ita sunt instituendæ, ut templis sanctis, non vero speluncis imparis, similes sint.

VERVS 47 ET 48

47 Καὶ ἦν διδάσκων τὸ καθῆμέγαρον τῷ λεπρῷ, ὃς δὲ ὀρχηστής οὐκ οἱ γραμματεῖς ἦσαν εἰχοντες ἀντόπια πατέσσα, οὐδὲ οἱ

48 πρῶτοι τοῦ λαοῦ. Καὶ οὐχὶ φρίσκον, τὸ τι ποιήσαντιν. Οἱ λαοὶ γὰρ ἀπαντέχειριστο αὐτοῦ ἀπονοῶν.

Erat autem docens per diem in templo, summi sacerdotes autem et Scribae quarebant eum interficere, et primi populi. Sed non inueniebant, quid facerent. Populus enim omnis suspenitus erat eum audiens.

ΕΞΙΓΗΣΙΣ

Καὶ ἦν διδάσκων -- οὐδὲ οἱ πρῶτοι τοῦ λαοῦ. Erat autem posthac Iesus docens, prout munus eius Propheticum id requirebat, *Deut. XXXIX, 15, 18, 19;* quotidie, per singulos dies accessit Hierosolyma, uesterna enim secessit ad montem olivarum recipiebat, mane autem redibat, *Luc. XXI, 37,* et docebat in templo usque ad passionis tempus, cuius destrinæ capita nonnulla consignauit s. *LUCAS* in capitibus duobus sequentibus, itemque s. *MATTHAEVS*, cap. *XXI - XXV* inclusiue, et s. *MARCVS*, c. *XI, ii, seqq. c. XII et XIII.* Summi sacerdotes autem, de quibus ad u. 4 *Euang.* in Feso Epiphan, diximus et *Scribae* de quibus ibidem ad eundem uerbum differimus, quarebant insidiando eum perdere i. e. interficere, quibus assentiebantur primi in populo, Seniores scilicet et principes, quos in suas partes pertraxerant, aut qui sponte accesserant, ut Pharisæi, aliquique, quarum *Matth. XXI, 46*, fit mentio. Ex quibus hominum illorum summa malitia est diuidicanda. Licet enim Dominus nihil egisset, quod uel speciem haberer reprehensionis cuiusdam, dum sanctitatem templi asserbar, ad quod prouocabant illi, et quo confidebant cum maioribus suis, *Ier. VII, 4,* tamen illi ob lacrum, procul dubio, quod ex tabernaculo in atrio, suo permisso fixis, capiebant, itemque ex superbia, quod ipsorum auctoritati uim fecisset, irascebant ei adeo, ut uirae eius insidiarentur, cui gratias referre debuissent pro tanta opera periculosa ac gratia. Sed, cum tum temporis Iudeorum status idem esset, qui tempore *Ieremiae* erat, mirum non erat, quod neque ad Domini, sicut illi nec ad *Ieremiae*, verba attenderent, neque sanctitati templi, sicut nec illi, parcerent, sed speluncam latronum, sicut illi faciebant.

Kai

Καὶ οὐχ ἔνειστον -- αὐτοῦ ἀπούσων. Non autem inuenierunt, nec inuenire poterant, causam quandam speciosam ac probabilem mortis, sive, ut s. LUCAS scribit, τὸ τι cur hoc, (τὸ enim pro τῷτο est scriptum, uid. Hierocrit. P. I. p. 175,) facerent, i. e. cur interficerent uel, interficere possent eum. DEVM quidem hac in re non metuebant iniusti illi et sanguinolenti latrones, sed populum, quia uniuersus populus a partibus eius ad tempus, mox enim, post paucos dies, ad partes suas a Scribis et Phariseis tractus, crucifixionem eius urget, stabat, et pendebat ab ipso, sicut apes pendere solent a regulo suo, audiens eius doctrinam salutificam et efficacem, non enim praedicabat, sicut Scribae, traditiones hominum, Marc. VII, 5, seqq. sed verbum DEI cum efficacia, Matth. VII, 29.

ΠΡΟΣΟΙΚΕΙΩΣΙC

I Iesu in nostris quoque Ecclesiis quotidie docet, quamvis non immediate, tamen mediate, per ministros suos. Venerentur itaque auditores altera ex parte praesentiam Iesu, Matth. XXIX, 20, XXIX, 20, ex altera vero parte sibi caueant, ne Iudeis similes fiant improbis, uid. προσοικ. seq.

II Si Dominum propter ueram doctrinam insidiati fuerunt Iudei improbi, nolite demirari, si idem quandoque contigerit, et in dies contingat, piis verbi dictini Ministris, Matth. X, 24, seqq. Luc. XXIII, 31. conf. προσοικ seq.

III In proborum quidem cogitationes pericula saepe minitantur piis, V. D. Ministris, sed DEVS illorum consilia confundit, malitiaq[ue] refrenat, Pf. II, 4, 5, Ier. XX, 10 u, hos contra eripit Pf. L, 15, XCI, 15, Ies. XLIII, 1, 2.

IV Quam peruersae agunt improbi, qui V. D. Ministris prepterea malas referunt gratias, Pf. CIX, 2, seqq. quod faciunt, quae DEVS ipsis demandauit, et quae ad ipsorum pacem spectant.

V Dolendum omnino, quod sacerdotes saepe verbo diuino obicem ponant, quod amplificare debebant, et lucri causa, lucrum animarum suo lucro, ac DEI gloriam avaritiae suea postponunt. Ier. V, 31, VI, 13, 14, XXIII, 11, Rom. II, 24. Auertat DEVS ab unaquaque Ecclesia hanc calamitatem.

VI Fac, quae ministerii tui sunt, confidenter et sincere, 2 Tim. IV, 5, cetera committit DEO. Is enim tecum est et causam tuam geret. Mich. VII, 9, 1 Petr. V, 6.

VII Cum DEVS maiorem fidem inueniat apud simplices, quam sapientes et nobiles huius mundi, 1 Cor. I, 20, 21, 26, seqq. exinde discamus, quod nemo de sua sapientia iactandi causam habeat, Ier. IX, 23, 24, et unusquisque sapiens vigilet, ne sapientia sua stultus fiat, Rom. I, 22, 1 Cor. I, 19, 20.

ΤΩΙ ΘΕΩΙ ΜΟΝΩΙ Η ΔΟΞΑ

39 A 6970



Retro ✓



14

Q. D. B. V
DISSERTATIONEM THEOLOGICAM
DE
ΣΩΤΗΡΙΟΦΡΟΝΗΣΕΙ
A
FILIIS LVCIS NEGLECTA

AD LOCOS
Lvc. XVI, 1-9, ET XIX, 41-48

ILLVSTRANDOS

P R A E S I D E

CHRIST. SIGISMVNDO GEORGIO

SS. THEOL. DOCT. EIVSDEMQUE PROF. PVBL. ORDIN
REGIOELECTORAL. ALVMNORVM

EPHORO

AD DIEM XI SEPTEMBRIS CIC ID CC LIII

IN AUDITORIO MAIORI

DEFENDET

CHRISTIANVS SIEGFRIED GROSCHIUS

ROSNAVIA MISNICVS

VVITTEBERGAE
LITERIS TZSCHIDRICHIANIS IMPRESSAM